

trem non Filium ipsum loqui, unde eodem orationis filo sermoci-
nari Pater pergat in nostro quoque v. 11. ut adeo illius sit nostrum
שלחתי, cujus erat v. 10. תהכרתיו v. 12. אשוב v. 13. דרכתי &c.
quæ Patri rectius omnino quam Messiaë, qui vaticinii argumentum
potius est, assignaveris. (2.) Quamvis Messias in negotio solutæ ca-
ptivitatis spiritualis potissimas habeat partes, utpote qui λύτρον ipse
persolvit, unde utique suo modo משלח dici meretur, qui præstat
id, ad quod emissio consequitur, quomodo *loca Jesaiana* hoc sensu
exponas: sed cum פורה pretium solvens, ut *Hof.* 13. 14. Messias de-
pingitur, & λύτρον præstans, ut alibi passim in N. T. audit, re ipsa
& modo loquendi usitato ab eo qui pretium solutionis accipit, & eo
accepto captivum dimittit, distingvatur, & hic quidem in emissio-
nis actu proxime & sensu immediato, ille vero, potissimum licet,
remote tamen & mediate, spectetur, malumus omnino h. l. quic-
quid de aliis dictis, ubi oratio quoque alia, sit, Patrem ut emitten-
tem, Filium Messiam ut emissionem illam pretio sanguinis procu-
rantem interpretari. Consentit, B. Dorscheo quamvis dissentiente,
Dn. D. Calovius ad h. l.

§. 13. Succedat משובתים 1. Chaldæus משועבדין *er-
gastuli colonos*, minus bene, plus namque dicit vox Ebræa, non enim
qui mancipium, vinculus protinus est. Rectius LXX. δέσμοι, Ital.
prigioni, Gall. *prisonniers*, Hisp. *los presos*. Denotat proinde capti-
vum *laqueis vel catenis constrictum* nostra vox אסיר, quo sensu 16.
vicibus occurrit, nec sufficit ad id, ut quis אסיר Ebræis audiat, bel-
lo captivatum & alio deportatum esse, quales homines שבויים
vel גולים vocitantur. Vinculi porro h. l. per suffixum Sionis sive
Ecclesiæ dicuntur, in qua sunt & vivunt, vel etiam ad quam suo mo-
do pertinent; si non semper qua communionem internam, saltem
qua professionem externam, qui vel in vinculis adhuc hærent, vel
quondam hæserunt.

§. 14. Quid denique sit בור אין מים בו inquirendum. Vox
בור notione quadam communi *foveam* significans, & pro diversi-
tate contextus & argumenti qualitate modo *cisternam*, *puteum*, *se-
pulchrum*, *gehennam* exprimit, & sexagies novies in V. T. legitur.
Quid πολύσημον alias vocabulum h. l. denotet, adjectus προςδιορισ-
µός אין מים בו aliquantum ostendit, quem ideo statim voci בור sub-